



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XXVIII. de appell. recus. & relat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

dine & citatâ parte absente, alâs sententia ipso jure est nulla cap. 18. h. t. & cap. 2. de dolo in 6. Quæ in interlocutoria secus obtinent, in qua nec opus juris ordinem tam strictè observari, neque ut utraque pars citetur, sed tamen sine hoc sit valida. Vide Rebuff. in L. quod in ff. de re judic. versic. *capiamus*.

Ad num. 11. in fin. adde: Ubi observandum, si plures sint Judices ejusdem litis, omnes proficere sententiam debent, aliâs si unus abesset, sententia foret nulla, L. 27. §. 4. ff. de arbitr. potuisset enim alios trahere in suam sententiam. Si verò omnes adsint quidem sed inter se dissentiant in condemnatione, & diversas summas ponant, stabitur minimâ, si verò duo absolvant, duo condemnent, tum reo potius est favendum, cap. fin. h. t. quæ ita obtinent in Judice ordinario, nam si sint plures delegati & vota paria in dissentiendo, tum delegantis judicis est unam quam ipse vult eligere & confirmare d. cap. fin. & l. 28. ff. de re judic.

TITUL. XXVIII.

*De appellationibus, Recusat.
& Relat.*

AD num. 12. in fin. adde: Etiam non appellatur in crimine falsæ monetæ, læsæ Majestatis l. 1. C. de falsa mon. & l. Constitution. h. t. Neque in crimine hæresis, aut raptu virginis s. ut inquisitionis de hæres. in 6 l. unica §. *si autem*. Cod. de raptu virginum. in quibus tamen criminibus appellari potest ante sententiam.

Sic etiam Officialis Judicis condemnatus propter illa quæ gessit in officio, non potest appellare l. nulli Cod. quor. appellat. non recip. Sicut nec appellatur à sententia lata in causa decimarum cap. *Tua nobis inf. de decima*, neque à sententia quando quis expressè vel tacitè renuntiavit appellationi, tacitè censetur renuntiasse: quando appellans gerit actum aliquem judicialem coram Judice à quo in ea causa, cap. gratum, ubi Abbas num. 6. sup. de offic. deleg. & l. 2. C. quor. appellat. non recip.

Ad num. 23. in fin. adde: Ubi quæres, an etiam in Appellatione extrajudiciali petendi sint Apolloli. Resp. cum distinctione, vel Judex extrajudicialiter procedit, & ab eo appellatur, & in hoc casu oportet eos petere, quia est qui illos dare possit, vel appellatur à parte, & tunc necessariò petendi non sunt, cum nullus sit qui eos dare possit. Scaccia de Appellat. q. 13. art. 2. n. 32. qui tamen addit, tutius esse etiam tum petere sub hac conditione, si sit qui dare possit.

FINIS LIBRI II.

AD LIBRUM TERT.

TIT. I.

De honestate & vita Cleric.

AD num. 8. in fin. adde: Ubi notandum, si fœmina utatur veste virili,